

ralia quaedam exponuntur: Prämonstratenserstatuten und Geistesarbeit. Inde ab initio Ordinis apparet servitium chorale et « lectionem divinam » iuxta laborem manualement magnum occupare locum in vita quotidiana religiosorum. In officio divino et in Capitulo textus sacri praelegebantur ; praeterea « lectio », seu studium penetrandi veritates revelationis iam a primis Statutis ut quid primordiale supponitur ; in Statutis illis siquidem caput speciale habetur : « Qualiter se habeant fratres tempore lectionis ». Ut libri necessarii omnibus praesto sint, religiosus ad hoc constitutus supponitur ; agitur siquidem in Statutis illis : « De armario et solatio eius ».

De scientia requisita apud candidatos ad vestitionem explicite non agitur in primitivis Statutis ; scribitur autem de magistro novitiorum illum « ad iussum Abbatis pro ipsis qui legere nesciunt in ecclesia professiones legere » (forte agitur hic de conversis). In Statutis vero posterioribus, editis a LEFÈVRE, legitur (Dist. I, cap. 14) : « cum autem petierint recipi, scientia eorum prima probetur ».

In iisdem Statutis varia edicuntur de scientia requisita ex parte ordinandorum aut ordinatorum. Statuitur in cap. 14 et 15 dist. illorum Statutorum (ed. Lefèvre) : « Sciendum quoque est quod acolyti seu subdiaconi a schola discipline non debent exire pro meritis scientie, quantum ad legendum et ad cantandum, vel pro honestate vite mereantur ad dyaconatus et presbyteratus ordinem promoveri... In ordinandis autem considerari debet etas ; scientia et morum honestas ;... decernimus observandum ut nullus ordinetur dyaconus usque ad vicesimum quintum annum, et qui sciat officium suum quantum ad legendum pariter et cantandum... Quantum vero ad scientiam, qui fuerit dyaconus vel presbyter ordinandus, tam in refectorio quam in ecclesia, ea quae ad ipsos ordines pertinent sciat legere expedite, et residuum litterature, si plus nescierit, redimat honestate ».

Ex ordinationibus illis Statutorum, sequitur in variis monasteriis Ordinis dari scholas, in quibus confratres edocebantur in iis quae necessaria iudicabantur ad hoc ut vocationi suae quam plenissime fideles esse valerent. Scholae illae non raro celebritate speciali gaudebant, ita ut confratres ex aliis monasteriis ad scholam alius monasterii accederent, scientiae sacrae plenius acquirendae gratia. Ita novimus B. Hermannum Ioseph, ob rationem dictam, per plures annos, commoratum esse in Horto Mariae (Mariëngaarde), in Frisia.

Similiter in canonica Wiltinensi schola quaedam in antiquis docu-



mentis iteratis vicibus occurrit ; prima mentio scholae huius occurrit anno 1230. Et sermo fit, hac occasione, « scholastici » Conradi. De ratione qua schola ista instructa erat, nihil certi indicari potest. Vix tamen dubitari potest scholam istam, et scholas similes in aliis monasteriis Ordinis tunc existentibus, aptatam esse iis quae a Capitulo Generali anni 1260 in genere a canonicis Ordinis requirebantur : « Ut nullus ad habitum nostrae religionis recipiatur seu ad professionem admittatur, nisi sciat distincte legere et clare beneque intelligat et declaret ea quae legit, hoc est, in grammaticalibus sit sufficienter instructus, et latinam calleat linguam ; precipiturque in virtute salutaris obedientiae et sub paena excommunicationis latae sententiae omnibus et singulis abbatibus et praelatis ut neminem penitus admittant, nisi sit sufficienter instructus, ut supra ».

Iuxta scholam, in monasteriis antiquis existerat scriptorium. Ante inventam artem typographicam scilicet, libri necessarii et utiles manu transcribi debebant. Officium « copistae » extitisse et magna consideratione dotatum fuisse, patet indirecte ex iis quae leguntur in primitivis Statutis : « Nullus canonicorum litteratorum canonicas horas chori pro opere manuum, praeter scriptores praetermittat » (Dist., cap. 8).

Notum est in antiquis Statutis plura referri de iis quae « lectionem » prae oculis habent. In Dist. I, integrum caput huic materiae enucleandae reservatur : « Quomodo se habeant fratres tempore lectionis ». In aliis capitibus Statutorum similiter de eadem materia, per transennam, non raro agitur. Dispositiones illas transcribimus : Dist. I, cap. 5 : Qualiter se habeant fratres in aestate : « Post Vesperas coenabit conventus, postea ministri ; interim *legant* fratres in conventu singuli in singulis libris usque ad signum collationis. Dominicis autem diebus et festis, quibus non laboramus, nihil mutatur de supradicto ordine, nisi quod horis, quae labori deputatae sunt, *legunt* fratres, et ministri post evangelium exeunt ad reficiendum. In jejuniis autem quae hoc tempore occurrunt, dicitur missa post sextam, postea *legunt* fratres usque ad nonam ». — Dist. I, cap. 6 : Quomodo se habeant fratres in hieme... « Post sextam dicta missa vacent *lectioni* usque ad nonam... Post communem refec tionem *legant* fratres vel laborent secundum quod opus fuerit, vel tempus permiserit usque ad vespas ; post vespas sint in *lectione* usque ad tempus collationis... Omnibus festis quibus non laboramus *legunt* fratres horis, quibus privatis diebus solent laborare... In quadragesima hoc tantum de supradicto ordine mutatur, quod post



capitulum dicuntur septem psalmi... et post vespervas reficimur et postea non laboramus sed *legimus...* ». Dist. I, cap. 10, De refectioe. « Quod si forte per negligentiam cibus nondum paratus fuerit, non pulset donec paratus sit ; nec fratres abluant manus, sed interim *legant* donec cymbalum percutiatur ». — Dist. I, cap. 11, Quomodo se habeant fratres post vespervas. « Post vespervas sedentes in claustro, omni tempore, nisi in quadragesima, non alte *legant* vel cantent ». — Dist. I, cap. 13, De collatione. « Ad collationem cum sacrista percusserit signum, fratres *repositis libris* sedeant in conventu, donec prior pulset cymbalum ». — Dist. I, cap. 16, De novitiis probandis. « Dum in probatione fuerint, ubique cum professis conventum teneant, iisdem horis cum conventu laborent, quiescant, *legant*, comedant, dormiant ». — Dist. I, cap. 19, De infirmis qui sunt in infirmatorio. « Si quis talem habet infirmitatem, quae nec eum multum debilitet... *legat* et operetur non ad suum arbitrium, sed horis quibus ei constituetur ; ceteri infirmi nec *legant* nec operentur ». — Dist. II, cap. 7, De armario et solatio eius. « Ad armarium pertinet *libros* custodire et emendare et singulos singulos fratribus prout oportuerit distribuere et cuique suum quando perlegerit mutare, *lectiones* si ad hoc idoneus fuerit terminare, hora *lectionis* in conventu afferre et referre ». — Dist. II, cap. 16: De mensae lectore. — Dist. II, cap. 17, De communi mandato...: « ante *lectionem* omnes sint recalceati ».

E variis illis ordinationibus Statutorum, quae in locis diversis veterum Statutorum occurrunt, logice deducitur « *lectionem* divinam » seu considerationem accuratam omnium illorum quae relate ad mysteria divina hominibus sunt communicata, esse, iuxta laborem manuum, inter praecipuas occupationes Praemonstratensium. Ad mentem Philippi de Harvengt, opus manuum, ut animae vere proficius sit, tendere debet ad hoc ut religiosus tutius et proficue « *lectioni* » intendere possit. Scribit siquidem Philippus (Migne, Patr. Lat., t. 203, col. 706): « Debet enim (clericus claustralis) studium praeponere Scripturarum, laborem vero manuum, non delectabiliter sed tolerabiliter sustinere, ut ad illud cum praecipue alliciat delectatio spiritualis, ad hunc, quasi invitum compellat necessitas temporalis ».

Inde ab incunabulis Ordinis, existentia Bibliothecae in monasteriis supponitur. Caput speciale Statutorum (Dist. II, cap. 7) inscribitur: « De armario et solatio eius ». Negligentia in hoc negotio



annumeratur inter culpas reprimendas: Dist. III, cap. 2, ubi de mediis culpis. In Statutis editis a LEFÈVRE, Dist. IV, cap. 6, De electione et translatione abbatum, edicatur: « sustinemus ut compilationes et scripturas scholasticas vel claustrales, quas permissus fuerat habere dum esset subditus, easdem dum vixerit permittatur habere praelatus ». Supponitur proinde ut quid omnino admissum, subditum apud se habere scripta, vitae intellectuali promovendae apta.

His indicationibus generalibus Ordinis praemissis, magis ad monasterium Wiltinense speciatim considerandum sese accingit Dr. Haidacher loco supra indicato.

Catalogus completus librorum Bibliothecae Wiltinensis saeculo XII et XIII notus non est. Adsunt tamen in Bibl. Universitatis Oenipontanae (Innsbruck) varia manuscripta, quae olim ad conventum Wiltinensem pertinuerunt. Praeter libros S. Augustini et Hieronymi, notatur, sub n. 343: « Liber de initiis et incrementis Premonstratensium » (saec. XIII); sub nr. 661: « Vita S. Norberti institutoris ord. Premonstratensis; vita b. Hermanni Josephi » (saec. XIII).

Canonicos Wiltinenses eminuisse scientia sacra sequitur ex Bulla Romana (Martii 1300), cui 18 episcopi nomen suum apposuerunt. In ista Bulla haec, inter alia, edicuntur: « Volentes itaque fratrem Wernherum et conventum monasterii de Wilthina ordinis praemonstratensis Brixinensis dioc., qui sunt in sacerdotali praeeminentia constituti *litterarum scientia sacris eruditionibus et mellifluis doctrinis* insigniti favore prosecui gratioso, ut diligentius dignum Domini famulatum studeant exhibere ac suorum maturitate insigniri... ».

Saeculis subsequentibus canoniam Wiltinensem eminuisse scriptorio vere florenti deducitur ex existentia plurimorum manuscriptorum nunc in Universitate Oenipontina conservatorum, quaeque originem duxerunt e scriptorio Wiltinensi. Quod potissimum evenit sub abbate Wernher (1300-1332). Abbas Alexius Stoll (1470-1492) bibliothecam ditavit pluribus novis libris. Inter scriptores noti sunt canonicus quidam Petrus, qui anno 1417, incitante suo Abbate, excripsit *Institutiones patrum Praemonstratensis Ordinis* (asservatur in Univ.-Bibl. Innsbruck, nr. 375); et conventualis Laurentius Prandt, qui anno 1476, rescripsit *De fine mundi* Vincentii Ferrerii (nunc in Univ.-Bibl. Innsbruck, cod. nr. 728).

Dr. Haidacher in specie indagavit quidnam sub respectu stu-



diorum in Universitatibus pro canonia Wiltinensi, saeculis supra indicatis, notandum invenerit.

Notum est Phlippum de Harvengt necessitatem scientiarum sacrarum apud clericos summopere extulisse. Scribit, inter alia, in suo libro: *De scientia clericorum*, de hac materia. Paucos textus indicasse sufficiat: « Et ne indocti iniuste glorientur nomine clericorum cum clerici locum obtineant magistrorum, implendi sunt spiritu et intelligentiae et scientiae omnique doctrina alioquin timendum ne clericatus sit eis non tam fastigium quam ruina » (Patr. lat., 203, col. 693): « Lex autem divina Scriptura est, in cuius lectione claustralis clericus debet versari, si iuxta propositum curat saeculo perfectius adversari » (ib., 700); « Videntur itaque ad Christum nolle venire, qui nolunt Scripturas perscrutari, nec videtur ab eis posse haberi vitam » (ib., 698).

Plures Praemonstratenses Universitates frequentarunt; quamvis fatendum sit, ipsos in centrīs illis speciatim studiis sacris dicatis, nullo modo occupasse locum quem Ordines, mendicantes dicti, cito obtinere valuerint. Quod facile explicatur ex eo quod Praemonstratenses sese potissimum praxi apostolatus sese addixerint.

Quod attinet Wiltinenses, sub hoc respectu, primus qui Universitatem frequentavit, fuit Wernherus (abbas 1300-1332). Iste Romae moratus est, studiorum causa. Cum Innocentius IV anno 1244-1245, studium generale instituerit apud Curiam Papalem, in quo praeter jus canonicum et civile, etiam theologia addiscebatur, admitendum videtur Wernherum apud hoc Studium Generale studuisse.

Universitas Bononiensis maximum nomen obtinuit tum ob praeclaram suam facultatem iuridicam, tum ob magnam frequentiam alunorum e variis regionibus confluentium. Notatur in Actis huius Universitatis, ad annum 1345: « Item a domino Chuonrado professo monasterii Wiltesensis Brixinensis dyocesis XIII solidos ». Iste Conradus, alumnus Universitatis Bononiensis, identificandus videtur cum Konrado Prenner, cuius nomen occurrit anno 1346.

Universitas Vindobonensis pro institutione scientifica Wiltinensium magis indicata erat quam Universitates regionum exterarum. De facto, inter 1378 et 1478, quinque Wiltinenses enumerantur inter alumnos dictae Universitatis. Praeterea scimus plures canoniam Wiltinensem ingressos esse, post absolutum studium in Universitate. Abbas Henricus Putsch (1413-1428), doctor in Iure Canonico, videtur



illam Universitatem frequentasse. Ipso hortante, frater quidam Petrus scripsit anno 1417 « Institutiones patrum Premonstratensis ordinis » (nunc Bibl. Univ. Innsbruck, nr. 375). Eius Prior, Michael AUSSEE scripsit *Opusculum de exordio, plantatione, loco, nomine, habitu, regula postulatione, intitulatione et confirmatione ordinis Praemonstratensis* (Bibl. Univ.-Innsbruck, nr. 120).

Abbas Iohannes Berkel (1428-1452), et ipse, universitatem Vindobonensem frequentavit. Iste Abbas postea relationes habuit cum Concilio Basileensi, et forte huic Concilio interfuit. Abbas Oswaldus Peisser (1469-1470) in Universitate Vindobonensi studuit. Idem dicendum est de abbate Iacobo Schmölzer (1492-1498); erat artium Magister et dicitur « scientia et moribus ornatus ».

Cum autem plures Wiltinenses Universitatem Vindobonensem frequentaverint, mirum non est themata quae in illa Universitate potissimum considerabantur, et in monasteriis postea influxum non modicum exercuisse. Quod valet de praedicatione, de tendentiis theologicis, de amore erga SS. Patres, speciatim erga S. Augustinum, de studiis astronomicis. In disputationibus theologicis illius aetatis relate ad potestatem S. Pontificis et Conciliorum, dicta Universitas potius favebat Conciliarismo. Eadem tendentia deprehenditur in abbazia Wiltinensi. Abbas Iohannes Belke (1428-1452) itinerantes versus Concilium Basileense gratiose hospitavit et ab illo Concilio privilegia petivit. Immo non improbabile videtur abbatem Belkel personaliter Concilio Basileensi interfuisse. Wiltinensis Oswaldus PEISSER (abbas electus 1469; moritur 26 febr. 1470), praeter alia opera, collectionem decretorum Conciliorum Constantiensis et Basileensis confecit (man. istud nunc asservatur in Bibl. Vaticana: Cod. Ottob. lat. 2530; Summo Pontifici Benedicto XIV ab abbate Bussjäger oblatum fuit).

Versus finem saeculi decimi quinti, res religiosas minus bene flourerunt. Causae diversi generis statum illum produxerunt. Interim tamen schola claustralis Wiltinensis semper perdurasse videtur.

Saeculo decimo sexto finiente, nova venit renascentia. E relicto visitationis canonicae anni 1577 scimus Catechismum S. Petri Canisii annumerari inter libros qui in schola Wiltinensi prae manibus habebantur. Praeter illam scholam claustralem latinam, existebat schola magis elementaris.

Capitulum Generale anni 1579 Praelatis imposuit ut studium philosophico-theologicum in canoniis suis erigerent; quae ordinatio



inseritur in Statutis anni 1630. Ordinatio illa non videtur statim in praxim deducta. Non statim lectores ad suum munus parati in ipso Ordine inveniri poterant. Formatio necessaria desiderabatur.

Interim plures in regionibus Germaniae Universitates fundatae erant. Et, anno 1585, Ferdinandus II Wiltinensibus imposuerat ut Universitates, formationis necessariae et utilis gratia, frequentarent. Abbates mox illam viam ingressi sunt.

Universitas Friburgensis, saeculo decimo sexto ineunte, florere caepit. Nullus Wiltinensis inscriptionem apud illam Universitatem sumpsisse videtur.

Aliud dicendum est de Universitate de Ingolstadt, in qua Patres Societatis eximii docebant. Primus Wiltinensis, in hac Universitate inscriptus fuit Simon KAMMERLANDER (die 20 aprilis 1694). Per quatuor annos Universitatem frequentasse videtur. Postea Abbas monasterii electus fuit. — Anno 1600 (23 Octobris) inscriptionem sumpsit Andreas MAYER; ad doctoratum philosophiae promotus est (Magister Artium), die 15 septembris 1603; in disputatione solemni universitatis, summa cum laude, defendit theses assumptas ex « De Anima » Aristotelis. Iste etiam doctoratum in Theologia postea obtinuit.

Anno 1605, in abbatem electus est Simon Kammerlander, olim alumnus universitatis de Ingolstadt. Religiosos suos primo ad universitatem Dillinganam mittebat; postea iterum in Ingolstadt. Inter istos eminuit Norbertus Bratiz. — Saeculo decimo septimo iterum plures Wiltinenses in Ingolstadt mittuntur. Ultimus qui universitatem de Ingolstadt frequentavit, fuit Johannes a Freising (abbas 1687-1693) qui tamen doctoratum in theologia adeptus est in universitate Oenipontina, anno 1677.

In Ingolstadt alumni illi vivebant in « Seminario Religiosorum », quod, sub ductu PP. Societatis Iesu, pro alumnis religiosis in illa civitate studentibus, erectum erat.

Etiam, in Dillingen, uti iam indicavimus, plures Wiltinenses Universitatem frequentarunt. Potissimum initio saeculi decimi septimi. Anno 1612, quatuor Wiltinenses simul in illa civitate aderant. Inter quos Augustinus Rieff et Andreas Mayer, qui postea Romam petierunt, in Collegio Romano victuri. Postea iterum plures Wiltinenses in Dillingen mittuntur. Inter hoc, citandus venit Wilhelmus Bliemel, qui bis disputationes publicas sustinuit; et hac occasione theses impressas, e theologia et iure canonico, « contra rigorosas doctissimorum virorum oppositiones praeclarissime atque felicissime » defendit (ita in diplomate universitatis, diei 11 Iulii 1644).



In illa civitate, pro alumnis religiosis, existerat « Collegium Sancti Hieronymi », sub ductu PP. Societatis Iesu.

Medio saeculo decimo sexto, erectum fuit, Romae, Collegium Germanicum. Sex solummodo religiosi in illo Collegio admittebantur. Abbas Kammerlander aliquos e suis religiosis huc mittere nisus est. Augustinus Rieff de facto, die 26 Novembris 1613, in Collegio Germanico Urbis susceptus est. Item ordinatum erat pro Andrea Mayer ; qui tamen, de facto, collegium ff. Praedicatorum S. Mariae apud Minervam ingressus est. Rieff studia sua (alumni Collegii Germanici adibant, pro audiendis lectionibus, Collegium Romanum, seu « Gregorianam ») Romae absolvere non potuit ; iudicio medicorum, domum reverti debuit ; obiit autem in itinere.

Paulo post, idem Abbas Kammerlander alios religiosos Romam mittere intendit ; et quidem plures simul. Ut hi in Collegio Germanico commorari possent, dux Maximilianus non dubitavit litteras ad ipsum Summum Pontificem Paulum V dirigere ; qui Paulus V tali petitioni benigne annuens, scripsit ad Rectorem Collegii Germani Urbis, ut duo Wiltinenses inter alumnos Collegii susciperentur. Duo ad hoc designati, Philippus Gärtner et Laurentius Stephan, die 2 Octobris Romae pervenerunt. Hi statim cursum Theologiae incipere possunt ; ex quo facto concluditur studium domesticum Wiltinense tunc tam bene esse ordinatum, ut cursus philosophiae in canonia peractus, sufficiens visum fuerit Romae ut alumni Wiltinenses, absque ulteriori instructione, inter alumnos Theologiae directe addictos annumerari potuerint.

Gärtner, èt ipse, mox domum reverti coactus est, ob deficientem valetudinem. Stephan vero cursum integrum Theologiae per quatuor annos absolvit ; Romae sacros ordines accepit ; Doctoratum Theologiae obtinuit, domum revertens, in Universitate Perusina (Perugia).

Mortuo abbate Kammerlander, non amplius religiosi Wiltinenses ad Collegium Germanicum Urbis missi fuerunt.

Uti supra iam diximus Andreas Mayer, Wiltinensis canonicus, studiorum causa adivit Collegium S. Thomae de Urbe (apud Minervam). Non videtur diu Romae commoratum esse ; anno 1614, simul cum confratre Melchior Grueber, ad doctoratum S. Theologiae promotus est in Universitate Perusina (Perugia).

Inde ab anno existerat Romae Collegium Ordinis. Quamvis in



ipsa domo quaedam praelectiones haberentur, atque disputationes theologiae instituerentur, alumni Collegii frequentabant cursus Ss. scientiarum apud Collegia generalia Urbis, apud Collegium Romanum, Collegium D. Thomae, aut etiam alibi.

Etiam quidam Wiltinenses in hoc Collegio Ordinis commorati sunt. Ita Norbertus Bradiz, qui èt ipse Doctoratum obtinuit apud Universitatem Perusinam et postea eminuit scientia sua theologica. Anno 1628, in Collegio advenit Godefridus Klebelsperger, qui, èt ipse, anno 1630 factus est S. Th. doctor Perusiae.

Ab anno 1614 ad annum 1630 quinque Wiltinenses Perusii doctoratum adepti sunt.

Tandem saeculo decimo septimo plures Wiltinenses, studiorum causa, ad Universitatem O. S. B. in Salisburgo missi fuerunt. Inter hoc citantur Norbertus Bratiz, Wilhelmus Bliemel qui, anno 1638, gradum magistri in philosophia adeptus est « non privata solum ingenii atque eruditionis suae specimina ediderit ». Praesertim abbas Mayer iuvenes Wiltinenses ad Universitatem Salisburgensem misit. Iis qui tali modo ad Universitatem mittebantur, tres conditiones ab ipso Abbate iniungebantur: gradum magisterii acquirere debebant; disputationem publicam sustinere debebant « pro laurea theologica »; scientia in Universitate ab ipsis acquisita positive eos disponere debebat ad assumendam obedientiam lectoratus in Conventu.

Usque ad annum foundationis Universitatis Oenipontinae (1679), inde ab anno 1594, plures religiosi Wiltinenses, studiorum causa, Universitates frequentarunt. Sub abbate Larcher (1594-1601), tres missi sunt in Ingolstadt. Sub regimine abbatis Kammerlander (1605-1621), decem missi sunt in Dillingen; tres in Ingolstadt; duo in Academiam Romanam S. Thomae; tres in Collegium Germanicum Urbis; tres doctoratum obtinuerunt Perusii.

Sub regimine abbatis Mayer (1621-1650), duo missi sunt in Dillingen; duo ad Collegium Ordinis Urbis; duo doctoratum obtinuerunt Perusii; quatuor missi sunt ad Universitatem Salisburgensem.

Sub regimine abbatis Loer (1651-1687), unus mittitur in Dillingen, unus in Ingolstadt, unus in Salisburgum.

Capitulum Generale anni 1579 haec, inter alia statuerat: « Capitulum cupiens religiosos imbutos esse non tantum bonis moribus, sed et litteris sacris et humanioribus, ordinat et statuit, ut fiat lectio



in grammatica et theologia per aliquem religiosum monasterii, si qui sit idoneus vel per secularem bonae fidei et morum ». Idem Capitulum, praeside Abbate Generali Despruets statuit: « Capitulum vehementer hortatur, quod plures ex religiosis, hoc tempore alienissimo, sanctas litteras amplexentur, et de nostro consensu et auctoritate ad gradus doctoratus promoveantur... Aliqui ex illis praelegunt aliis fratribus, alii verbum Dei populo annuntiant, illustriusque nomen nostrum reddunt... » (ed.: *An. Praem.*, XVI, 1940, p. 31). Addidit, illa occasione, Capitulum Generale nonnullas ordinationes quae iis qui studiis sacris specialiter incumbere intenderent, ad hoc media opportuna concedebant « idque absque ullo murmure fratrum ».

Quomodo studia sacra in canonica Wiltinensi, annis indicatis ordinata fuerint, practice non ex omni parte dilucidari potest, deficientibus fontibus. Scimus per integrum saeculum decimum sextum extitisse Wiltinae scholam claustralem in qua duo magistri docebant, tum linguam latinam, tum linguam germanicam. De studiis theologicis ordinatis illo tempore, nihil traditum est. Fatente lectore Blie-mel, anno 1649, defensio publica thesium quae prelo erant multiplicatae, anno 1598 initium sumpsit. Anno 1617, dux Maximilianus in litteris ad Summum Pontificem directis, haec, inter alia scribit: « Equidem inter paulatim reformata et laudabiliter restituta huius loci non postremum et perantiquum illud Wilthauense nostrae Oenopontanae vicitatis parochiale monasterium, ubi praeter insignem disciplinae cultum et liberalium artium praesertim philosophiae ac theologiae studia intra ipsos coenobii muros sedulo excoluntur ».

Statuta anni 1630 ordinaverant ut singuli Praelati, « ad profectum suorum religiosorum » virum doctum, « saecularem vel regularem » in lectorem assumerent, qui « Scripturam exponat, vel theologiam, vel philosophiam, vel humaniores litteras doceat, ut religiosi paulatim doctrina crescentes, divina clarius intelligant, eaque intimius sapiant, et quae obligationis suae sunt, perfectius assequantur ».

Quando haec Statuta promulgata fuerunt, statim in praxim deduci potuerunt Wiltinae; et quidem ope confratrum Abbatiae. Immo confratres Wiltinenses ad alias canonias mitti potuerunt, ut et alibi lectores competentes ex ipso Ordine assumi possibile fuerit.

Defensio thesium publicarum valde in usu erat illa aetate; Wiltinae theses tales imprimebantur (enumerantur theses tales impressae annis 1598 ad 1649); et personis eximiis ecclesiasticis aut civilibus dedicabantur.



Alumni Ordinis, ad Universitates missi, non tantum scientiam stricte dictam acquirebant ; insuper formatio religiosa ipsis in Collegiis tradebatur. Praesertim in Universitate Dilingana talis formatio in honore tradebatur. Exercitia religiosa a Patribus Societatis Iesu ibidem tradebantur. Alumni hac ratione formati, postea in domibus suis exercitia spiritualia illa ordinata, ad mentem S. Ignatii, propagarunt. Frequens susceptio sacramentorum fovebatur. Congregationes Marianae in honore erant. Cultus Immaculae Virginis explicite promovebatur. Explicatur facile exinde Casparum Baumgartner primum fuisse praesidem Archiconfraternitatis sanctissimi Rosarii Wiltinae erectae ; Baumgartner siquidem studuerat in Dillingen ; et eius confrater, Klebelsperger, olim Romae studens, illam erectionem celebravit nova editione operis sui, ex italica lingua versi, « *Psalterium Marianum* » ; in quo per 472 paginas agit de Rosario.

J. B. VALVEKENS, O. Praem.

---